

sistens, quam ipsum accidens; similiter esse medium recipiendi ut quo, non dicit potentialitatem ut excludentem actualitatem, quia disponit ad illam formam, et disponere, aliquid actualitatis est, ratione cuius etiam potest esse principium agendi. Et ita actus immanens procedens a potentia, et virtute ejus proprie sustentatur in esse ab anima, recipitur autem media potentia, seu lumine (a quo etiam active elicitor) tamquam medio recipiendi, ut quo, non tamquam subjecto sustentante. Unde non est secundum idem movens, et motum, licet sit agens, et sustentans, aut etiam medium recipiens, movetur enim intellectus recipiens actum ab ipso objecto, vel ab alio actu priori, vel a Deo, sustentat autem solum ratione esse substantialis animæ, in qua radicitur.

ARTICULUS IV.

Utrum lumen gloriæ de potentia absoluta possit esse connaturale creaturæ?

I. Hæc difficultas est eadem cum illa, an sit possibilis aliqua substantia creata ordinis supernaturalis, cui formæ supernaturales connaturales essent, sive connaturalitate debiti sicut propriæ passionis, sive connaturalitate convenientiæ, et conformitatis, nec enim necesse esset si daretur substantia supernaturalis quod omnes formæ supernaturales essent proprietates ejus, sed tamen aliquas haberet tamquam proprietates, et alias in accidentia communia intra illum ordinem, omnia tamen sibi essent convenientia tamquam ejusdem ordinis, et conformitatis, licet non pariter debiti, et connexionis; sicut etiam in ente naturali non omnes formæ accidentales sunt propriæ passionis, sed quædam ut acciden-

tia communia illi convenient, ipsi tamen conformia, et tamquam ejusdem ordinis convenientia, licet non necessario connexa aut debita. Et uno verbo, nulla forma supernaturalis esset elevativa substantiæ illius, sed ei modo connaturali conveniens. Et hoc inquiritur an sit possibile?

II. Nec possumus modo immorari in explicando id in quo laboriosissime auctores aliquid decertant, videlicet in quo consistat formalis ratio entis supernaturalis? Id enim latius tractare potius spectat ad materiam de gratia, ubi agitur de quidditate illius formæ per quam reddimur divinæ consortes naturæ. Breviter tamen suppono vulgarem istam distinctionem de supernaturali quoad substantiam, et quoad modum. Supernaturale quoad modum dicitur illud quod substantiam, et naturam habet naturalis ordinis, sed fieri ejus supernaturale est; quia vel fit, vel conservatur per actionem excedentem modum operandi naturæ, sicut illuminatio cæci, resurrectio mortui, id enim quod fit per resurrectionem in substantia est homo, et quod fit per illuminationem est potentia visiva, quæ sunt in substantia res ordinis naturalis, sed modus quo fiunt supernaturales est. Supernaturale quod substantiam est illud, quod secundum suam speciem, et quidditatem qua constituitur est supernaturale, seu excedens totum ordinem creaturæ et non solum ratione modi quo fit, seu actionis qua fit. Et de hoc sunt variæ sententiæ auctorum in explicando in quo consistat, quia fere unusquisque sic accommodat conceptum entis supernaturalis, prout sibi videtur accommodatius ad negandam, vel asserendam substantiam supernaturalem. Sed tamen in hoc saltem videtur debere omnes convenire, quod pertinet ad ens supernatu-

rale, quale nunc cognoscere, facere seu habere in se divinæ consortium naturæ, ratione cuius dicat ordinem divinum, ad quem elevat ordinem creatum. Quod enim importet consortium divinæ naturæ ex Scriptura colligitur II Petri I: *Per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Quod etiam per similitudinem Dei explicat I Joan. III: *Cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Unde constat secundum, scilicet importare has formas ordinem divinum elevativum ordinis creati ad consortium, et similitudinem Dei. Ordinis enim divini sunt, quia faciunt nos similes Deo, seu deiformes, non quidem similitudine illa communi, et generali, qua creaturæ sunt vestigia Dei, et participatione ejus, et homo specialiter factus est ad imaginem Dei, sed similitudine peculiari, et propria qua habent consortium Dei attingendo objectum, quod ipse attingit, et vitæ æternæ consortes sunt videndo, et fruendo ipso Deo, sicut Deus fruitur se ipso: sicut etiam, quando corpora elementaria mixta participant impressionem, seu virtutem cœlestem, dicuntur aliquid altioris ordinis participare, scilicet cœlestis, quam non habent ex eo, quod elementalis, sic creaturæ quando participant modum vitæ divinæ in cognoscendo, et amando per modum vitæ æternæ, dicuntur habere ordinem divinum et altiorem: quia modo proprio Dei in eo in quo elevatur supra creaturas, afficiuntur. Et dicitur esse elevatio creatæ vitæ seu intellectus, sic enim Concilium Vienneense explicat hanc supernaturalitatem docens indigere lumine elevante, quasi contraponens lumen elevans lumini naturali: sentit ergo quod ratio luminis ut supernaturalis, est lumen elevativum intellectualis naturæ, si quidem per hoc

quod sit elevans, condistinguit et contraponit illud lumini naturali. Unde sequitur quod supernaturalitas debet esse elevativa intellectus vel voluntatis seu potentiæ creatæ, et debet habere superioritatem (id enim pertinet ad elevationem) respectu intellectus creati. Hoc enim munus faciunt supernaturales formæ et lumen gloriæ quod nunc cognoscimus. Et ita omissis aliis subtilioribus indagationibus, circa formalem rationem entis supernaturalis, hoc sufficit nobis pro nunc ad discurrendum circa hanc nostram difficultatem. Si enim proprium munus formæ supernaturalis est elevare intellectum, seu potentiam intellectualis naturæ, inquirimus an possit dari aliqua creata natura vel intellectus respectu cuius lumen gloriæ vel forma supernaturalis non sit elevativa, sed connaturalis, an vero ut sit supernaturalis, debeat comparari ad omnem intellectum ordinis creati, ut superior et elevativa forma et ordinis superioris, vel sufficiat quod respectu aliquorum intellectuum creatorum, quales nunc sunt, lumen gloriæ sit superius, non vero respectu omnium etiam creabilium.

III. Duplex est sententia. Prima eaque valde communis inter auctores docet implicare hujusmodi supernaturalem substantiam seu intellectum creatum, sed hoc ipso quod forma supernaturalis est, id est, immediata et propria participatio Dei, debere esse elevatiorem et superiorem intellectu quolibet creato, nec ullum posse intellectum ita perfectum imaginari, qui non sit capax elevationis et superioritatis excedentis propriam naturam, si a Deo trahatur ad suum divinum consortium. Et ita inveniunt repugnantiam inter hos terminos, quod scilicet aliquis intellectus sit creatus et sit supernaturalis hoc est non

elevabilis ad ea quæ divina sunt, sed quod divina sint ei connaturalia. Ita communiter discipuli D. Thomæ præsertim recentiores inter quos ista quæstio agitari vividius cœpta est, Alvarez, lib. VII de auxiliis, disp. LXIX; Bagnez I part. quæst. xciv, art. I, dub. I ad IV; Gonzalez, disp. xxvi; Carmelitanum Collegium hic disp. III, dub. II; Vazquez I part. disp. XLV, cap. I, et disp. CCXXXI, num. XX; Suarez, tom. I, in III part. disp. LI, sect. VI, §. III, et lib. II de attributis negativis, c. IX; Arrubal hic dip. XXI; Granados 1-2, tract. de gratia, disp. VIII, cap. II. Est que sine dubio D. Thomas qui in hac quæstione ar. V ad III, inquit: « Lumen gloriæ non potest esse connaturale alicui creaturæ, nisi creatura esset divinæ naturæ, quod est impossibile. » Idem docet III contra gent. c. LII et LIV, circa solutionem tertiæ et quartæ rationis, et 1-2, q. cx, art. II ad II, ubi docet supernaturalem formam non posse esse substantiam.

IV. Oppositam sententiam aliqui auctores cum timiditate docent, ex una parte non inveniunt adæquatam rationem implicationis, ex alia a communi sententia timentes recedere. Nam Molina qui his temporibus primus videtur de hoc dubitasse I part. quæst. XII, art. V, dub. II, tamen in fine docet se non audere a communi sententia recedere. Valentia I part. disp. III, quæst. XII, punct. III. Hæc autem doctrina, dicit difficile esse repugnantiam ostendere de potentia absoluta, tamen tandem §. Nihilominus, docet id implicare. Herice I part. disp. XLVIII, cap. IV, idem docet quod Molina, Becanus I part. cap. IX, quæst. V, n. IV, docet non esse argumentum quo probetur implicatio, sed omnia solvit, tamen ista omnia a se dicta esse docet salvo meliori iudicio. P. Alarcon novissime tract. I de visione,

disp. II, cap. VIII, multis defendit eam esse probabilem, omnique temeritate carere, tamen in fine capituli X, oppositæ sententiæ subscribit, ne hujus singularitatem sequatur, licet probabilitatem non adimat.

RESOLUTIO CUM PONDERATIONE RATIONUM D. THOMÆ.

V. Sit conclusio: Implicat dari substantiam seu intellectum creatum supernaturalem, cui connaturale sit lumen gloriæ. Antequam rationes D. Thomæ quæ hanc implicationem ostendunt, expendamus, oportet advertere quod cum constet de fide intellectuales creaturas, quæ nunc sunt non esse naturaliter beatas, sed supernaturaliter et per lumen elevans, ut dum ex Concilio Viennensi afferebamus, necesse est fateri solum esse in potentia obedientiali creaturam rationalem ad beatitudinem seu lumen gloriæ et ad formas supernaturales, quibus in ordine gratiæ seu vitæ æternæ constituimur, gratia enim Dei vitæ æterna, ut dicitur Rom. VI. Qui ergo ponunt substantiam seu intellectum supernaturalem creatum, fateri debent id quod nobis est potentia obedientialis, illi substantiæ esse connaturalem, atque adeo idem esse fieri supernaturalem substantiam ac transferri obedientialem potentiam in connaturalem. Et ulterius si respectu gratiæ seu luminis gloriæ illa substantia habet connaturalem potentiam, respectu nullius formæ supernaturalis seu divini ordinis habebit potentiam obedientialem, quia cum omnes illius ordinis formæ supernaturales sint et ejusdem ordinis, si semel respectu unius connaturaliter seu non obedientialiter se habet illa substantia, respectu aliarum omnium etiam obedientialiter non se habebit sed

connaturaliter sive connaturalitate connexionis et debiti sicut propriæ passionis, sive connaturalitate convenientiæ et conformitatis, ut accidentia ordinis ejusdem. Quod si ita est, unum e duobus oportet sequi, aut quod illa substantia ad nihil erit in potentia obedientiali in genere intelligendi seu cognoscendi, aut quod potest dari alius ordo altior quam supernaturalium formarum et ordinis divini et luminis gloriæ, respectu cuius illa supernaturalis substantia esset in potentia obedientiali et non connaturali. Utrumque autem impossibile est. Nam ordo altior in genere operandi creato dari non potest cum iste sit divinus: si quidem facit nos divinæ consortes naturæ, et deiformes in operando, et est operatio constituens nos in ultima beatitudine non solum nostra, sed omnium creaturarum factibilium, nulla enim altiozem finem potest habere, neque illum attingere, nisi per cognitionem et fruitionem immediate in se, ergo licet perfectior possit esse operatio in modo attingendi Deum, tamen altioris ordinis operatio esse non potest, cum sit ordinis divini et fine ultimo fruens. Si ergo talis substantia supernaturalis daretur, cum illa esset connaturaliter beata et fruens ultimo fine, ad nullam elevationem superiorem intellectualem et operativam (de hac enim loquimur ut excludamus unionem hypostaticam) esset in potentia obedientiali. Similiter est impossibile quod aliquis intellectus creatus non sit in potentia obedientiali, nec sit elevabilis ad altiozem modum intelligendi. Nam quicumque intellectus creatus quantumcumque excellens debet comparari ad divinum, tamquam ad actum purum et a se distantem infinite, ergo tamquam ad intellectum altioris ordinis, ergo non poterit esse capax illius modi divini in intel-

ligendo, nisi per aliquam elevationem seu participationem sibi supernaturalem quæ faciat illum consortem talis modi intelligendi; sicut in ordine Angeli seu Archangeli non potest creari aliquis spiritus, qui connaturaliter habeat intelligere sicut Seraphim, sed ad illum modum intelligendi solum per aliquam illuminationem aut elevationem potest pervenire.

VI. Nec potest instari in ipso lumine gloriæ, et formis supernaturalibus quæ licet infinite distent a Deo, adhuc non indigent alia elevatione, ut Deum, attingant, sed connaturaliter ad illum feruntur. Contra enim est, quia lumen gloriæ et aliæ formæ supernaturales sunt elevationes ipsæ, quibus potentiæ nostræ elevantur ad Deum, et sic supponunt aliquid elevabile et in potentia obedientiali, cuius ipsæ sunt elevationes. Si autem daretur intellectus vel substantia supernaturalis, illa non supponeret aliquid elevabile, sed esset in potentia connaturali non obedientiali ad id quod ordinis divini est, et sic non esset intellectus divinus superioris ordinis respectu illius, quia non posset sui consortium facere per elevationem, sed haberetur per connaturalitatem. Quod vero lumen gloriæ distet in infinitum a Deo non obstat, distat enim entitative ut quod, sed non elevative et ut quo, quia se habet ut medium elevandi ad Deum in operando, sicut unio hypostatica elevandi naturam ad Personam divinam, licet in se crata entitas sit, et distans infinite a Deo.

VII. His positis, poterunt facilius intelligi implicationes D. Thomæ quæ reducuntur ad tres. Prima in hoc articulo quinto ut jam supra tetigimus, quia dispositio ad ignem, v. g. non potest esse naturalis nisi habenti formam ignis. Unde lumen gloriæ non potest esse naturale cre-

aturæ, nisi creatura esset naturæ divinæ, quod est impossibile, per hoc enim lumen fit creatura rationalis deiformis.

VIII. Hæc ratio ut intelligatur, advertendum est, quod dispositio aliqua triplici modo se potest habere ad aliquam formam. Uno modo aut introducens illam aut faciendo, ut uniendo, qui magis videtur respectus causæ efficientis, seu virtutis qua efficiens forma operatur. Alio modo se habet ex parte causæ materialis seu subjecti habilitando illud ad formam. Et hoc dupliciter; vel quia pure se habet ut medium recipiendi passive talem formam, sicut quantitas est medium recipiendi albedinem et diaphaneitas lucem, sed tamen qui habet diaphaneitatem non continuo habet lucem, nec qui quantitatem, albedinem, sed solum habere potest ab alio collatam: vel quia dispositio illa se habet ut ordinans, et adæquans subjectum erga talem formam, ita quod qui illam habet, continuo respicit talem formam tamquam ejusdem ordinis aut ut specificativum sui, et ad se pertinens immediate, sicut diaphanum recepta luce potest illuminare et intellectus recepto lumine gloriæ potest videre Deum, habetque respectum ad Deum ut ad immediatum specificativum talis luminis, quod ex se non habet. Et in hoc tenet exemplum de dispositione ad ignem quod sicut per illam dispositionem subjectum adæquatur et conjungitur formæ ignis, ita per lumen gloriæ intellectus adæquatur et conjungitur Deo, ut specificativo luminis, et in eodem ordine cum illo constituitur. Non tamen tenet in hoc quod sicut dispositio ad ignem efficit formam ignis, et introducit illam in materiam, ita dispositio ad videndum Deum efficienter introducat Deum ut formam in intellectum, non enim id requiritur,

sed sufficit quod in linea et ordine intellectuali adæquet et assimilet intellectum Deo, ut specificativo sui in esse intelligibili.

IX. Secundo, est advertendum, quod lumen gloriæ datur nunc intellectui ad elevandum et proportionandum illum ad formam intelligibilem increatam, quæ est divina essentia, ut utatur illa et videat illam, et sic datur per modum virtutis activæ ad eliciendam visionem Dei in se tamquam proxima et formalis virtus operandi actum vitalem vitalitate supernaturali seu vitæ æternæ. Et ita disponit hoc lumen ad ipsam essentiam divinam, ut uniatur in ratione formæ intelligibilis, tamquam medium recipiendi: ad ipsam autem visionem Dei tamquam virtus elicitive, et ejusdem immaterialitatis cum illa.

X. Igitur hæc implicatio D. Thomæ ut efficax sit debet intelligi, sumendo dispositionem pro virtute activa, cujus connaturalitas non attenditur nisi respectu sui principii activi radicalis et remoti. Accidens enim dupliciter potest esse connaturale alicui subjecto. Primo, ut est præcise subjectum seu sustentans, et accidens præcise inhærens et informans; et sic potest aliquod accidens connaturaliter informare et inhære etiam illi subjecto, cujus non est propria passio, sed sufficit quod subjectum habeat conformitatem et convenientiam cum illo accidente, ut ab illo informetur et ex illo educatur, et hoc modo accidentia communia dicuntur esse in subjecto connaturaliter, seu non obedientialiter solum, ut calor in ligno, non connaturalitate debitiæ connexionis, sed connaturalitate ordinis, et coaptationis seu conformitatis, quia ex illo subjecto et ex ejus potentia naturali potest educi, sicut etiam omnes formæ substantiales dicuntur connaturales materiæ primæ non connaturalitate

propria passionis, sed connaturalitate subjecti ex cujus naturali possunt educi. Alio modo potest dici accidens connaturale subjecto, non in ratione formæ inhærentis tantum, sed in ratione virtutis seu activitatis proximæ, quando accidens est virtus et ratio operandi. Et sic esse connaturale in ordine et linea activitatis alicui subjecto, non potest intelligi nisi respectu ejus quod est activum radicale, et non subjectum præcise recipiens. Cujus ratio est, quia accidens activum in tantum dicitur connaturale alicui, in quantum est ei proportionatum instrumentum seu medium agendi; et in agendo tale instrumentum seu virtus proxima trahit vim ab aliqua radice, in qua continetur, et cujus est proportionata et connaturalis virtus, et sic in virtute primæ illius et radicalis activitatis operatur. Si autem nullam activitatem radicalem supponat vel subjectum se habeat solum sustentans et deferens talem virtutem, et sic non respiciet illam formaliter loquendo ut principium activum, sed ut subjectum sustentans, et ut accidens inhærens, materialiter vero et quasi per accidens dicitur agere per illud, quia sustentat accidens activum; vel se habeat ut principium radicale agendi per elevabilitatem talis virtutis, non per connaturalitatem. Ut autem connaturalis sit talis virtus illi subjecto in ratione activitatis et virtutis, oportet quod ex parte subjecti, non solum consideratur id quod est subjecti materialiter recipientis, id enim solum respicit accidens, non ut virtutem activam et in linea causæ effectivæ, sed ut formam receptam et informantem seu in linea causæ formalis respectu materialis, sed oportet quod consideretur etiam aliqua ratio virtutis radicalis, quæ ut activitas prima et radicalis respiciat proximam ut formalem, quæ est

quasi instrumentum illius radice, et ita respicit in linea effectivi, non solum receptivi. Quod præsertim currit in his quæ pertinent ad virtutem vitalem, necessario enim debent supponere interius principium activum vitale, cui si connaturalis sit illa virtus, utique debet contineri in naturali potentia talis radice, sicut modo habitus acquisiti in intellectu aut voluntate.

XI. Ex his clare potest ratio S. Thomæ explicari, ejusque implicatio sic deduci. Id quod se habet tamquam dispositio seu virtus proxima ad operandum seu disponendum, juxta modum alicujus formæ non potest connaturaliter convenire, nisi alicui principio radicaliter activo in cujus potentia non solum obedientialiter, sed etiam connaturaliter contineatur, virtus illa proxima seu dispositio; sed lumen gloriæ est dispositio seu virtus proxima ad operandum modo divino, et ad videndum Deum immediate in se, ergo non potest connaturaliter convenire nisi principio activo radicali continenti in se naturaliter talem dispositionem et virtutem. Rursus radix ista seu principium radicale activum debet esse aliqua forma seu substantia, et non potest esse forma creata sed increata et divina, ergo implicat dari aliquam substantiam creatam, quæ sit radicale et connaturale principium luminis gloriæ. Consequentia patet, quia substantia est radix seu principium radicale agendi, et si daretur substantia supernaturalis esset radicale principium operationis supernaturalis et virtutis proximæ seu dispositionis supernaturalis, qualis est lumen gloriæ, et sic si implicat radicale principium luminis gloriæ esse creatum, repugnabit substantiam supernaturalem esse creatam. est participatio ordinis divini, quo Minor probatur, quia illud lumen